

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Sanctae Mechthildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber specialis gratiae

**Mechthild <von Hackeborn>
Mechthild <von Magdeburg>**

Pictavii, 1877

IV. Status damnatorum post iudicium.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-60070)

Verumtamen nullum anima mea supplicium pertulit, quia mortalis morbi, quod peccatum est, veneno caruit. Et si foret possibile quod immunis a culpa cum eis moraretur anima, grande eis esset solatium et lux perpetua. Talis enim immaculata et felix anima lucet naturaliter et splendet æternaliter; utpote divino lumine insignita. Quæ si diabolicam imaginem peccando assumpserit, luminis sui decorem perdit.

Damnatis itaque a fidelium orationibus et eleemosynis nullum, credo, provenire solatium potest; [hoc utique non didici]; eo quod in perpetua obstinatæ mentis malitia consistentes, omnis boni gerunt odium et horrorem.

IV. STATUS DAMNATORUM POST JUDICIUM.

Post extremum iudicium novo vestiatur Lucifer indumento, quod ex omni angelorum et hominum sordibus criminibusque est confectum. Ipse namque, causa et princeps peccatorum omnium et malorum, tunc solutus est adeo ut omnis furor illius et crudelitas cunctis dæmonibus et animabus se commisceat, ut ejus præsentiam nullus effugiat. Tunc interdum immaniter se distendet, et dilatabit os suum et aperiet valde, in quod dæmones, Judæos et Gentiles uno spiritu attrahet interius. Ventre plenam mercedem accipient et festa tristia celebrabunt. Væ tibi tunc, corpus et anima! humana lingua eloqui non sufficit ineffabilem pœnæ miseriam quæ tunc erit. Vere fateor Deo quod meditatio mea huic immorari non patitur, quousque ab homine Salutatio angelica compleatur. O quam crudelis damnatio, et quam horrenda illic erit vexatio!

V. DE PURGATORIO.

INFERNUS capite immanissimo horribilis et terribilis est; innumeris et crudelibus oculis undique repletum; de quibus egrediuntur flammæ nigerrimæ miseris animas exurendo: